



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 10. Diues, etiam quia voluptarius fuit, damnatus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

& bysso, & epulabatur quotidie splendide. Quod
 ergo eius crimen? Iacens ante ianuam ulcerosus,
 & non adiutus. Hoc enim aperte de illo dictum
 est, quod immisericors erat. Numquid enim,
 charissimi, si pauper ille ante ianuam jacens suf-
 ficientem panem à diuite acciperet, diceretur de
 illo, quia cupiebat saturari de micis, quae cade-
 bant de mensa diuitum? Propter hanc solam in-
 humanitatem, qua contemnebat pauperem ante
 ianuam suam jacentem, nos congruè digneq;
 pascebat, mortuus est, & sepultus est. Et cùm
 apud inferos in tormentis esset, lenavit oculos
 suos, & vidit pauperem in sinu Abrahae. Et
 quid multis immorer? Desideravit guttam, qui
 non dedit micam. Nonne accepit iustam senten-
 tiam, qui non dedit crudeli auaritia? Si haec
 ergo poena est auarorum, quae poena raptorum?

§. X.

Dives, etiam quia voluptarius fuit, damna-
 tus est.

Tertia causa ab eodem epulone diuite
 trahitur. Nam etsi diuitiae neque peccata
 sunt, neque culpabiles, ut rectè docuit Au-
 gustinus, neque prosperitas crimen haberi
 potest, cùm à Deo sit, tamen inter diuitis il-
 lus elogia damnationis, ab Abrahamo eti-
 am illud profertur, quia recepit bona in vita
 sua

O

sua

S. Basil.
hom. j.
de ieiun.

Luc. 6.

sua. Quapropter D. Basilius in hæc verba exclamat: *Timeto exemplum diuitis. illius delicia vite igni tradiderunt, non ob iniustitiam.* Verum est, immisericors fuit, sed non hæc sola causa indicatur supplicij. Opulentia illi etiam, & festiuus fortunæ vsus, & fauor auri, & splendor purpuræ, & apparatus epularum, deniq; magnæ annona voluptatis obijcitur. Hæc enim sunt, quæ Lazarus defuerunt, & diuiti illi superfuerunt, quæq; ille, si quid fortasse bene meruit, pro meritis suis in hac vîta recepit. Quin hoc elegium damnationis, etiam Christus ipse non dissimulauit: *Va vobis diuitibus, inquit, qui habetis consolationem vestram; va vobis, qui saturati estis; va vobis, qui ridetis nunc, qui lugebitis.* Quid ita? an non ille diuitias contulit? an non epulas creauit? an purpuram non fecit? Aut fortasse peccatum est, habere, quod supremus rerum Dominus donauit? Nequaquam. Sed delictum est, possidere, quod alijs erat distribuendum; sacrilegium est, ad Dei ignominiam vsurpare; quod ad illius honorẽ & gloriam erat vsurpandum. Quamquam etiam copia rerũ scelus non sit, tamen, vt supra docui, ea vel fundamentum, vel ædificium est scelerum ac vicio.

vitiorum. Compendium est vituperationis, fortunatum dici, & simul non etiam misericordem, beneficum, liberalem, patrem pauperum, sobrium, iustum, & munificum esse: quia titulus opulentiae, sine virtute, est omnium criminum index, & procurator voluptatis. Quid porro voluptas pariat, ex illa sententia discitur: *Quantum glorificauit Apoc. 18. se, & in delitijs fuit; tantum date illi tormentum & luctum.* 7.

§. XI.

Auaritia fraudes Acheronticis flammis digna.

Quarta causa, quia uti iustitia caelo digna est, ita iniquitas inferno. *Manè astabo tibi, & videbo*, ait Propheta. Quid videbis, & Videns? *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* At, iuxta commune adagium, diues plerumque aut iniustus, aut iniusti haeres est. Quid ergo mirum, si diuitiae dicantur esse magna occasio aeternae damnationis? cum & ab Ethnicis irritamenta malorum appellentur? & Iacobus Apostolus dicat: *Agite nunc diuites, plorate ululantes in miseris vestris, quae aduenient vobis. Diuitia vestra putrefacta sunt;* Psal. 5. 6.
Iac. 5. 5.